

*De ordine inter ciues consti-  
tuendo, & omittendis pu-  
blicis conuentibus.*

C A P. V I.



**C**ONSTITVENDVS quo-  
que est ordo inter ciues, vt  
publicos conuentus, specta-  
cula, conuiuia, symposia, nu-  
ptias, choreas, nūdinas, scho-  
las, templa, balnea publica  
vitent. Nam præterquam  
quòd in plerisque horum grauiter non in cor-  
pus solùm, verùm etiam in animam peccatur,  
subest quoque non leue periculum contrahen-  
di disseminandique contagij. Propterea suadet  
viri prudentes, vt eiusmodi temporibus rarissi-  
mè in hominum frequentia versemur. Nemo e-  
nim est tam imperitus, quin sciat, vbi sine ratio-  
ne promiscuè omnia fiunt, venenum latissimè  
spargi, & plurimos inficere. Vt cùm cellæ taber-  
næq; publicæ, ad quas compotādum itur, indies  
omnibus patent: forum item, macellū, loca pu-  
blica, in quibus lauantur lineamenta, & varia  
hominum turba commisceri solet, frequentan-  
tur. Hic igitur leges rogandæ sunt conseruato-  
ribus, quibus eiusmodi congressus inhibeātur,  
vel in diuersa loca & tempora distrahantur.

Ac primùm de cœtu Ecclesiastico monendũ *De ordine*  
 est illud, vt ne cateruatim, vel ἀδρόως ingrediã- *in Eccl. ob-*  
 tur, egredianturq; neq; copiosè in vnum tem- *seruando.*  
 plum, vbi arctiùs ac pressiùs sedere cogantur,  
 confluant: præsertim vbi plura in vna ciuitate  
 huic negotio loca idonea sunt, in quibus diuinæ  
 ceremoniæ, id est, verbi Dei explicatio, & Sacra-  
 mentorum administratio fieri queant. Quãuis  
 enim hæc fortè quibusdam minuta videbuntur  
 & exigui momenti, tamen nihil prætermitten-  
 dum est, quod aliqua saltem ratione ad auertē-  
 dum contagij periculum possit conducere, &  
 quod Cicero dixit, cum hominibus consulere,  
 humanæq; societati seruire debemus, nihil esse  
 cælandum, quid commoditatis, quid copiæ ad-  
 sit, id vel in primis isto tempore locum habet.

Quòd si connubia ineunda fuerint (quanquã *De nuptiis.*  
 cui placeant eiusmodi contractus tali rerum sta-  
 tu, in quo si vnquam aliàs, consiliũ Apostoli va-  
 lere deberet, vt propter instantem necessitatem  
 maneãt homines cælibes) ea quàm paucissimo  
 hominum numero, & absque omni pompa  
 peragantur. Ebrietas autem & ingurgitationes, *Tob. 2.*  
 choreæ, ac aliæ non necessariæ, vel potius peri- *Amos. 8.*  
 culosæ, perniciosæq; ceremoniæ, quæ plerunque *1 Macha. 1.*  
 adhiberi solent, longæ mittendæ illæ quidem, *Prover. 14.*  
 ne (vt dici solet) finis gaudij tristitia euadat, po-  
 stridièq; defleatur, quod pridie admissum est er-  
 roris. Præcipuè verò ebrietas eiusmodi est vitiũ,  
 quod non modò Deum grauiter offendit, vbi

impunita fertur, sed etiam alia teterrima peccata, ut blasphemiam, periuria, obscenitates, iniurias, homicidia, incestos, adulteria, fornicationes (quæ plerunque omnia ex vna illa hydra Lernæa oriri solent, & iram Dei contra vniuersam gentem prouocant) secum trahit. Taceo, quibus est illa quotidiana comessandi cōsuetudo familiaris, plerunque in hoc malum procliuiores, ac curatu quoque difficiliore esse. De Socrate referunt historiæ, propterea quòd temperanter vixerit, semper incorrupta valetudine usum esse, etsi in multis grauibus pestilentis (quæ Athenis grassatæ sunt) degeret. Talis enim (autoribus Aristotele & Galeno) in puris corporibus cōstitutio est, ut rarò afficiantur peste, vel quamuis ea affecta fuerint, tamen non pereant. Contrà autem non paucorum exemplis cōstat, qui recens peste correpti, cùm vino se copiosè impleuissent, in maximum discrimen & præsentem mortem miserabiliter deuenisse. Vtilissimū enim est hîc, si vnquam aliàs, quod Galenus ait, *1 de feb. ἀπέριτρον καὶ εὐπνοῦν εἶναι τὸ σῶμα.* Quamobrem non solū officij Magistratus est, legem aduersus eiusmodi helluones statuere, ac pœnā acrem irrogare, sed ipsi etiam, si Christiani, aut potiùs non prorsus pagani videri volunt, cauere debent, ne seueram D. Pauli sententiam incurrant, qua ebriacos regno Dei excludendos pronuntiatur: meminèrintque perpetuò mandati Christi, dum ait: **Cauete ne grauentur corpora vestra**

*Marsil. Fi-  
cin. de Epi-  
dem. cap.  
24.*

*Leonarth.  
Fuchf. de  
medic.  
morb. li. 4.  
Alex. A-  
phrod. 1 pro-  
blem. 83.*

*Ebrietatis  
detestatio.*

vestra crapula & ebrietate. Cui mādato qui tam securè audent resistere, vt rarò sobrij sint, & ad similem ἀσωτίαν alios non desinant inuitare, quomodo non planè Antichristi sint, non possum iudicare. Quid enim magis Antichristianū est, quàm Christi præceptum directè reicere: iu bere quod Christus prohibuerit? Ad id hortari, quod Christus dissuaserit? Verùm nolo hīc illā camarinam latiùs mouere, cū non tam argumentis, quàm legibus coerceri huiusmodi scandala oporteat.

Choreæ verò illæ & tripudia, quæ adeo in-  
 tempestiuè fieri solent, nempe mox à cibo, da-  
 pibus mensisq; remotis (sic enim plerique sibi  
 persuaserunt, si nemo saltat sobrius, nisi sit insa-  
 nus, admodum sapienter se facere, si ebrij, id est,  
 vino cibóque infarcti, ac tantū non distenti  
 id agant) nulli magis, quàm ipsis saltatoribus  
 noxiæ sunt, aggregantibus scilicet copiam cru-  
 dorum humorum, quæ subinde graues vena-  
 rum obstructions, & putredinem, ex qua tan-  
 dem malignæ pestilentésque febres nasci solent,  
 facilè pariunt. Atque hinc Leonarthus Fuch-  
 sius Germaniæ nostræ medicus excellentissi-  
 mus ipsa experientia deprehendisse se ait, mul-  
 tos dum choreas agerent, infectos hac lue mor-  
 tem obiisse.

Deinde balnea quoque publica multis de  
 causis vitanda dixi: quæ istiusmodi tempore  
 tanquam præsens & lethifera memphitis sunt:

*De tripu-  
 dia & cho-  
 reis.*

*De balneis  
 publicis.*

quippe cum vaporoso illo aere multi ac varij homines promiscuè congregari soleant: quorum alij paulò antè istoc morbo infecti fuerunt, & nunc reliquias sudore euacuare student: alij medicamentis antidotisque diuersis delibati, suos singuli afferunt tetros & funestos halitus, quibus aërem illum conclusum implent, qui aër ab illis, qui præstò sunt, & corporibus iam calore rarefactis, facillimè tum ore ac naribus, tum poris cutis ad apertis hauritur, & subinde ad cor, vel cerebrum, vel iecur per arterias raptus celerimè contagione potest inficere.

*De scholis.*

De ludis etià literariis ac scholis, in quas pueri conueniunt, quid dicam aliud, quàm omnino consultum & propè necessarium videri, si vitare disseminationem veneni volumus, vt illæ quæ in commodiorem locum deduci non possunt, ad tempus claudantur, & potius quantulocunque cum fructu iuuentus domi erudiatur, & priuatis lectionibus vacet, quàm cum tanto discrimine turmatim coeat: solet enim puerorum & adolescentum ætas, vtpote vorax, intemperans, mollis, rara, improuidaque huic infortunio magis esse obnoxia, quàm illa quæ est grandior & prouectior. Quamobrem summus medicorù Arabum Rhazes, & post illum Franciscus Valeriola Arelatensis medicus cōsulunt, vt infantes ac pueri maturè ex locis pestiferis in aliam regionem transferantur, vbi de infecto aere non sit illis periculum metuendum.

Simi-

Similiter iudicari potest de celebribus & an- *De nundi-*  
 niuersariis nundinis: item de deductionibus fu- *nis anni-*  
 nerum, de quibus postea suo loco agetur am- *uersariis.*  
 pliùs.

Huic verò capiti etiam hoc addēt conserua-  
 tores, ac serìò cum vniuerso Magistratu delibe-  
 rabunt, videlicet vtrum præstet quosdam pau-  
 peres, qui victum ostiatim mendicando quæ-  
 runt, & propter inopem vitam quibusvis vescē-  
 tes huic malo plus quàm alij homines obnoxij  
 sunt, omnes vicos, ac præcipuè eorum ædes, in  
 quibus funera sunt, pertentant, circumeunt, o-  
 mnibùsque occursant (sæua enim necessitas tu-  
 guriolis suis eos extrudit) vel aliò dimittere, vel  
 domi sumtu Reip. tantisper sustinere, donec ma-  
 lum remiserit: vt hac ratione circumvagãdi, &  
 recipiendi, dispergendique contagij occasio eis  
 adimatur. Vix enim dici potest, quàm præsens  
 periculum vniuersæ ciuitati inde existat. Qua  
 de causa vidi in amplissima vrbe Patauina, non  
 tenuioribus modò, sed etiam mediocribus, qui  
 vel cum pollutis versati erant, vel ipsi fuerãt in-  
 fecti, eo modo in singulos dies victum suppedi-  
 tari sumtu publico, vt tantò faciliùs intra priua-  
 tos parietes coerceri possent. Atque optandum  
 esset omnibus votis, nõ istis solùm temporibus,  
 quibus singularis necessitas id requirit, sed con- *De sustinē-*  
 stanter & semper ab omnibus Rebusp. operam *dis paup-*  
 dari, vt inopes alia ratione, quàm ista turpi & *ribus.*  
 Christianis probrosa circũuagatione aleretur,

qua non nisi ad otiosam vitam, & omnis generis vitiositatem assuefiunt. Quod quò minus fiat, nihil nisi crassam negligentiam impedire video. Vix enim in nostro Christiano orbe tam vilis hodie pagus est, quin posset suos pauperes mediocriter sustinere, si res modò sit cordi præsulibus, & prudentia ac ordo adhibeatur. Qui qualis esse debeat & possit, etsi iam pridem de hac recogitaram: tamen postquam vidi, piissimum, omnisque literaturæ peritissimum Theologum Andream Hyperium diligenter & sufficienter constituisse, non opus est mea explicatione.

Illud verò hoc etiam loco in consilium reuocandum duxi, quandoquidem multi sæpe meticulosi, multi natura debiles, & ad seruiendum communi necessitati inepti sunt, quos præstet alibi viuere, vt & ipsis commodius sit, & Resp. minus oneretur, vtrum statui possit, tales libertate donare, vt se aliò tantisper conferant. Etsi enim aliqui vel religionis, vel pudoris ergò suam ciuitatem communi calamitate oppressam deserere non audent, nec videri volunt Dei manum effugere velle: tamen si consilio Magistratus rectum videatur, & in eum finem, quem dixi, fiat, bona conscientia licere non dubito. Hac enim ratione fiet, vt quantò minor hominum frequentia sit, tantò minus quoque contagij fore: quantò verò minus contagij, tantò & pauciora cadauera, & celerior liberatio speranda est. Sicut enim cum putredo pomorum aceruum inuasit,

quantè